



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Summa eius de Societate existimatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

constarent. Inquirebat, an leges nostras accuratè obseruasset: reputabat secum, an ordinem, quem sibi præscripserat ipse, propositaque quæ animo destinauerat, constanter tenuisset: quemadmodum conscientiæ quæstiones exercuisset: quomodo oculos, linguam reliquosque sensus refrenasset. Si autem huius suæ citharæ fidem aliquam remissiorem aduertisset, protinus intendebat, ut suauem concentum faceret auribus diuinis. Atque hæ ferè artes & industriae sunt, quibus Ioannes, ad vitanda mala, noxasque declinandas, (quæ prima est iustitiae pars) vtebatur: nunc, quâ ratione partem alteram bene agendi impleuerit, ex illo Dauidis monitu, *Declina à malo, & fac bonitatem, aspiciamus.*

*summa e-  
ius de So-  
cietate ex-  
istimatio.*

Illud ante omnia ponendum est, tantam apud eum extitisse Societatis existimacionem, ut verbis ea explicari haud queat: quod soli illi intelligunt, qui quotidiana eius familiaritate vtentes, ex loquentis id ore acceperunt. Non aliter de cæ, ac de re aliquâ diuinâ, grauibus dignisque verbis loquebatur. Confueuerat appellare, Societatem sanctam, Societatem amoris, Opus diuinum, Matrem nostram. Opinabatur vitæ nostræ institutum perfectam quamdam esse similitudinem illius vitæ quam Christus degerat in terris,

terris, vnumque excellentissimorum Ordinum qui hodie in Ecclesiâ florent. Quam sententiam equidem credo & aliorum esse de Ordinibus quoque suis, ad quem quisque diuinitus vocari semel se existimauit. Quantumuis verò magnificè augusteque de Societate censeret; ideò tamen honestè de alijs quoque Religiosæ vitæ generibus sentiebat, ut nec earumdem familiarum alumni dignus quidquam in earum laudem adferre potuissent; quin imò acquieuiscent, applau- siffentque potius, si differentem eum audi- uissent.

Quemcumque virum Religiosum in plae-  
teis obuiàm habebat, prior ipse aperto capite  
venerabatur, comitemque eiusdem officij  
commonefaciebat. Dicebat hac se ratione  
in Eremitis honorare S. Augustinum, in Mo-  
nachis S. Benedictum, in Minoribus S. Fran-  
ciscum, in Prædicatoribus S. Dominicum, in  
alijs alios viros sanctitate claros. Enim uero  
summa illa quam de Societate imbiberat  
opinio, admirandos in eo excitabat effectus.  
Ac primò amorem quemdam intimum te-  
nerimumque aduersus Societatem, cuius  
latis successibus gestire eum vidisses, sollici-  
tum famæ ac nominis eius sempiterni, quam  
Matrem scilicet appellabat. In quanto au-  
tem beneficio duceret, Religioni se esse ad-  
scriptum,

*Honorifi-  
cus dereli-  
gioſis om-  
nibus Ordini-  
bus ser-  
mo.*

*Veneratio  
in omnes  
promiscue  
viros Reli-  
gioſos.*

*Amor in  
Societatem  
IESV.*